



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## **Universitätsbibliothek Paderborn**

**Conciliorvm Omnivm Generalivm Et Provincialivm  
Collectio Regia**

Ab anno DLXXVII. ad annum DXC.

**Parisiis, 1644**

Titvli Canonvm.

**urn:nbn:de:hbz:466:1-15221**

ANNO  
LXXXI  
§4.  
PELAGIVS C. MATISCONENSE II. TIBERIVS IMPERATOR.  
P. II. CLOTARIUS II. REX FRANC. 73

in ecclesia paucorum bonorum electa probatio, quam erraticæ multitudinis præsentia congregata: ac plus ædificationis afferunt rara virtutis exempla, quam popularis licentia abundans & incorrecta præsumptio.

NOTA IACOBI SIRMONDI

SOCIETATIS IESV.

<sup>1</sup> Verani episcopi Cabellicæ.] Satis apparet hanc sententiam in Synodo aliqua dictam a Verano episcopo. Sed cuius sedis fuerit episcopus, codex sancti Germani, vnde excerpta est, non exprimit. Cum hoc loco intexteretur, veniebat in mentem Veranus Cabellicensis episcopus, qui proximæ Synodo Matisconensi II. subscribit. Nunc vero aptius tribui posse videtur Verano Lugdunensi, ad quem extant Hilari papæ epistolæ, ab eoque tum dicta, cum in Synodo provinciales suos affaretur.

ANNO CHRISTI 585. <sup>a</sup> CONCILIVM MATISCONENSE II.

GVNTRAMNI REGIS IVSSV,

\* Anno Christi DXXCVIII. ut Binini putat. <sup>b</sup> anno regni eius XXIV. celebratum, id est, <sup>1</sup>\* anno Christi DXXCV. Pelagii II. papæ VIII. Clotarii iunioris regis II.

TITVL CANONVM.

- I. De intermissione dominice cultu restituendo.
- II. De Paschate per sex dies festos agendo.
- III. De baptismo in Paschate celebrando.
- IV. De oblationibus in omnibus dominicis diebus populo faciendis.
- V. De decimis a populo clericis antiquo more solvendis.
- VI. De Missis non nisi a ieunis celebrandis.
- VII. De libertorum causis ab episcopis iudicandis.
- VIII. De reis ab ecclesia non extrahendis.
- IX. De episcopis ad secularia iudicia non trahendis.
- X. De clericis coram episcopis concil. Tom. 13.
- ueniendis.
- xi. De hospitalitate seruanda.
- xii. De viduis & pupillis, non nisi coram episcopis iudicandis.
- xiii. De canibus & accipitribus ab episcopis non alendis.
- xiv. De violentia potentum in miseros coercenda.
- xv. De honore clericis honoraribus a secularibus exhibendo, adeo ut clero pedestri eques omnium secularis ad terram defiliat.
- xvi. De uxoribus clericorum, ne post eorum mortem inceant secunda matrimonia.
- xvii. De alieno sepulture iure non usurpando.
- xviii. De incestuosis copulationibus vitandis.

K

74 PELAGIVS C O N C I L I V M TIBERIVS IMPERATOR.  
P. II. CLOTARIVS II. REX FRANC.

XIX. *De clericis, ne forum criminale frequentent, nec reorum nec intersint.* XX. *De Concilio tertio quoque annuali frequentent, nec reorum no celebrando.*

ANNO  
CHRISTI  
583.

### P R A E F A T I O .

**R**E SIDENTIBVS Prisco, Euantio, Prætextato, Berte-  
chranno, Artemio, Sulpitio metropolitanis episco-  
pis, cum omnibus confacerdotibus eorum, <sup>d</sup> Priscus epi-  
scopus patriarcha dixit: Gratias agimus Domino Deo no-  
stro, fratres & confacerdotes mei, qui nos in hoc die con-  
gregans, alterna nos fecit sospitate gaudere. Ceteri epi-  
scopi metropolitani responderunt: Gaudemus, frater san-  
ctissime, quod omnes episcopi, qui in regno gloriosi do-  
mini Guntramni regis episcopal honore funguntur, in  
vno se conspicunt coadunati Concilio. Propterea inde-  
sinenter omnes nos orare oportet, vt Dei omnipotentis  
maiestas, & regis nostri incolumitatem solita pietate con-  
seruet, & nos omnes, qui membra sumus vno sub no-  
stro capite Christo coadunati, illa nos operari concedat,  
quæ serenitati ac maiestati eius rite complaceant. Vnuer-  
si episcopi dixerunt: Congratulamur & nos, patres san-  
ctissimi, qui per interualla temporum separati, hodie no-  
scimur, post tot temporum curricula, fraterna dilectione  
corporaliter iungi: ideoque petimus, vt quæ tractanda  
sunt, vobis præcipientibus, celeriter pertractentur, ne  
nos saeuæ hiemis procellosa tempestas a sedibus propriis,  
quia longe sunt, longitudine sua arceat. Metropolitani  
omnes dixerunt: Deo auxiliante, communis deliberatio-  
ne singula quæ necessaria sunt a nobis definientur. Hoc  
vnuersæ fraternitati vestræ suademus, vt ea quæ Spiritu  
sancto dictante per ora omnium nostrorum terminata  
fuerint, per omnes ecclesiæ innotescant, vt vnuquisque  
quid obseruare debeat, sine aliqua excusatione condiscat.  
Quoniam nos individua trinitas, quemadmodum spiritu,  
corpore quoque in vno copulauit Conuentu, debemus  
sapienti consilio omnibus subuenire, ne forte taciturnitas  
nostra & nobis præiudicium diuinitatis afferat, & subie-  
ctos in tentationem inducat.